

periculi filii Heli, assaturam desiderabant, ideo tolli præcipiebant carnes, ut sibi assarentur, quemadmodum indicat vox Hebræa *litseloth*, h. e. *ut assem*. Hæc ergo vel sola cupiditas detestabilis fuit coram Deo; quemadmodum et illa Hebræorum, quibus manna non sapiebat, quia non erat ad ipsorum gustum excoctum; ac propterea: *Circuibat populus*, inquit textus, *et colligens manna, frangebatur mola sive terebat in mortario, coquens in olla et faciens ex eo tortulas saporis, quasi panis oleati*, Num. XI. Cum enim naturali manna suavitatem contenti non essent, novas ejus condituras excogitabant. Verum scio quid defuerit Hebræis, quominus eis saperet simplex illud manna, labor scilicet Ægyptius coquendorum laterum, qui si adfuisset una cum flagello, quo ad labores urgebantur, o quam illis sapidum manna id fuisset? Unde enim tædium simplicium ciborum, nisi ex perpetua ingluvie et vacatione a laboribus? Cum Dionysius tyrannus in phytitiis Lacedæmoniorum (publicis et frugalibus conviviis) cœnasset, negavit se jure quodam nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum; tum is qui cœnam coxerat: *Minime mirum*, inquit, *condimenta enim defuerunt. Quæ tandem?* inquit ille. *Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota*, (fluvio in quo Spartana juvenus natando se exercebat et sudorem abluabat) *fames, sitis; his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur*, Cic. V. Tuscul. Non difficile quidam nostro tempore sapiens jocularis principis catellum, qui gallinarum carnes fastidiebat, docuit per inediam intra paucos dies devorare non dico gallinas, sed pyra et panem atrum. Verum hæc medicina parum sapit hoc tempore delicatis stomachis. Nimirum venter ipsis deus est, cui omnem cultum deferunt cum omni sua familia, quæ fere in culina tota occupari debet etiam festivis diebus cum dispendio rei sacræ. Quis in horum album non referat Wenceslaum Bohemiæ regem, qui cum aliquando prandium non ita, uti jusserat, præparatum offendisset, jussit ministrum caponis instar veru affixum ad ignem torreri? Quis non Henricum VII. Angliæ regem, qui Apitium quemdam, obscurum cæteroqui hominem, ad magnam dignitatem evexerit, eo quod caponem (quem ille cibum pro exquisitissimis habebat deliciis) optime sua cura assatum ipsi apposuisset? Refert Florimundus, l. IV de orig. hæc. c. III. Sanderus, l. de schis. Angl. Quis non illos, de quibus Hugo Victorinus ait: « Superstitiosus quidam nimis in suis cibis præparandis adhibent studium; infinita decoctionum, frixurarum et condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio,

modo cumino, modo sale condita secundum consuetudinem prægnantium mulierum designantes. » Cui accedit D. Bernardus, in apol. ad Guiliel. « Quis, inquit, dicere sufficit, quot modis, ut cætera taceam, sola ova versantur et vexantur, quanto studio evertuntur, subvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur: et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farta, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur? Ut quid autem hæc omnia nisi ut soli fastidio consulatur, etc? » Pugnat sane hæc cupiditas cum Dei institutione, tam redemptoris, quam creatoris. Hic enim in mundi creatione, duo tantum alimenta viventibus præscripsit, herbas et plantarum fruges: *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem et lignum pomiferum*, Gen. 1. Utraque simplicia nullius artis lenocinio adulterata. Ille vero sic nos orare docuit: *Panem nostrum quotidianum da nobis*, Matth. VI. Quid est *quotidianum*, nisi simplicem, vulgarem, facile parabilem, minime exquisitum? Pugnat denique cum regula S. Basili, qui l. de vera virgin. ait: « Omnibus in locis cibis, qui sit ad victum necessarius solerti, ratione inquirendus condimentorumque elaboratæ blanditiæ ut voluptatis illecebræ repudiandæ. » Pugnat cum oratore dicente: « Venter quidem poscit et appellat, sed tamen molestus creditor non est, si illi das quod debes, non quod potes. »

IV. Qui in quantitate mensuram moderatæ refectionis excedunt. Qua de re ad Jerusalem dicitur: « Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas, panis et abundantia. Aperte ostenditur, quod idcirco salutem perdidit, qui cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit, » inquit Gregorius uti supra. Qui excessus saturitatis nisi foret culpabilis, nequaquam Jerosolyma propterea soror Sodomæ vocaretur ab Ezechiele, c. XVI. Quare D. Hieronymus, in Jovinianum ita scribit: « Sed et ex vilissimis cibis vitanda satietas est. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter et exæstuans, et huc illucque se vertens, et in ructus respirans: » et rursus ex Galeno docet: « Athletas, quorum vita et ars sagina est, nec vivere posse diu, nec sanos esse; animasque eorum nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus et ructu et ventris ingluvie cogitare. » Tamquam pestis ergo vitanda est nimia ciborum ac potus ingurgitatio: *Caro sic nutrienda est ut serviat, sic domanda ut non superbiat*, inquit Hugo de S. Victore. Qui sanus esse corpore et animo vult, det operam, ut semper e mensa cum aliqua adhuc esurie vel appetitu surgat, vel certe *ultra appetitum* nihil admittat. Præscribat sibi cibum et potum certam quantitatem,

quemadmodum S. Augustinus sibi et convivis suis certum præfigebat numerum poculorum, apud Possid. in vita. Audiatur regula Cassiani, col. II. c. XXIII. « Generalis hic continentia modus est, ut secundum capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum sibi met eibi unusquisque concedat, quantum sustentatio carnis, non quantum desiderium saturitatis exposcit. » Denique: « Considerent ebriosi, inquit S. Augustinus, si non peiores animalibus judicandi sint. Cum enim animalia amplius quam eis opus est, bibere nolint: illi et duplum et triplum quam expedit eis, potum accipiunt. » Qui etiam tales helluones comparat paladibus sordidis, in quibus fœda animalcula, serpentes, ranæ, vermes et bufones nascuntur, ser. CCXXXI. de temp.

V. Qui nimio desiderii æstu feruntur in cibis, etiam viliores. Ex hoc capite: « Primogenitorem gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam concupivit, quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit, neque enim cibum, sed appetitum in vitio est, » inquit Gregorius, dicto loco. Idem confirmat Augustinus, lib. III. de doctr. christ. c. XII. his verbis: « Fieri potest, ut sapiens pretiosissimo utatur cibo sine vitio cupiditatis, insipiens autem fœdissima gulæ flamma vilissimum ardeat. » Adam et Eva pomum, non phasidem aut perdicem degustarunt, et tamen eo facto, et se et nos perdiderunt. Dæmon etiam non caponem sed lapidem Christo exhibuit, quo eum in gula tentaret, uti advertit S. Gregorius, lib. XXX. moral. c. XXV. « Antiquus hostis, inquit, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, et primum sibi hominem non carne sed pomo subdidit, et secundum non carne sed pane tentavit. Hinc est quod plerumque culpa committitur, etiam cum abjecta et vilia sumuntur. » Non prohibetur quidem omnis in cibo et potu delectatio, sed id desideratur, ut oblectatio illa non quærat tamquam scopus et finis, solumque admittatur, qua servit necessitati. Observavit hoc S. Augustinus, qui, l. X. confess. ait: *Hoc me docuisti (Deus) ut quemadmodum medicamenta sic alimenta sumpturus accedam*, adeoque ut inter edendum ac bibendum mentem a delectatione avocaret, mensæ lectionem vel disputationem adhibuit, teste Possidio, in ejus vita. Proderit etiam ante cibi sumptionem statuere, se rationem utilitatis solum tamquam magistram et ducem in sumendo cibo secuturum, ut habet S. Basilius, in reg. brevior. quæst. CXXVI. Mira ad hoc industria fuit B. Jacoponi, qui initio, ut gulam domaret, absinthio quasi sale ad cibos utebatur, eosque inficiebat, donec,

eo perveniret, ut saporem cibi in unum Deum referret; adeoque ad extremum nihil ipsi præter Deum saperet. Qui etiam aliquando cupiditate bubulæ carnis tentatus, bubulam comparavit, et tamdiu in cubiculo servavit, donec putredinem contraheret, et per totum ambulacrum horrendum in modum feteret, quam is deinde velut rem suave olentem naribus applicabat atque olfaciebat, puniens orexin hoc miro antipharmaco, Corn. in Num. cap. XI. Nec miremini, auditores, sapientissimi viri miram hanc stultitiam. Versabat ille animo gravissimam illam penam, qua olim Deus in Hebræis punivit præposterum carnis appetitum, (Numer. XI.) quando impetrarunt quidem ab irato Deo coturnices, sed quia nimio desiderio in eas rapiabantur, et gulose vescebantur: *Ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis*, ignis videlicet, qui devoravit extremam castrorum partem, nomenque loco dedit: *Incensio, et sepulcra concupiscentiæ*. Æstus igitur parvi desiderii æstu ignis mulctatus fuit: et qui in suis ventribus sepelierunt carnes, sepulcra concupiscentiæ subire debuerunt. Carnium devoratores, vermium esca facti sunt.

## CONCIO III.

## DE DAMNIS EBRIETATIS.

I. Ebrietas incantator est. — II. Detractor est. — III. Est proditor. — IV. Fur est. — V. Tortor est et lictor. — VI. Homicida est.

## THEMA.

*Ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Marci VIII.

Duo præclara et omnibus sæculis celebranda plus quam Assueriana convivia exhibuit sectoribus suis Christus; unum in hodierno evangelio: alterum huic simile, Joan. VI. Sed cum præcipua pars convivorum sit potus, quid est, quod Dominus in his conviviis non legitur apposuisse potum? Potus enim nulla prorsus mentio. An forte non potuit procurare potum, qui potuit cibum? Existimo ego vicinos fuisse fontes vel rivulos, e quibus haberi potus facile poterat. Sed non fuisset contenti, nos præsertim Germani, hoc potu: vinum desiderassemus. Nonne potuit ergo fontes illos in vinum vertere, qui jam pridem aquam in vinum mutarat, ut tam mirabile convivium vino phalerno cohonestaret? Fateor: non video, cur non æque facile id potuisset, si voluisset, ad hæc populus haud dubie etiam siti æstuabat; præterea magnificentius fuisset hoc convivium si vini quoque miraculo splendisset. Quid ergo causæ, quod

vinum non apposuit? Nimirum noluit Dominus suis suspectum quid apponere. Vinum autem suspectum est, de ebrietate, in tanta praesertim societate siti laborante. Ebrietas autem talis est hospes, qui hospitem suum omnibus bonis expilat. Voluit igitur Dominus pane et piscibus satiare populi non solum famem, sed et sitim: ne occasionem ebrietatis ei praeberet, adeoque in ipsum, qui dedisset, culpa rejiceretur. Si enim Adam tam cito causam peccati sui Deo adscripsit, quod ab ea mulierem deceptricem accepisset: quis neget, aliquos de populo ebrios dicturos fuisse Christo, vinum, quod dedisti nobis, decepit nos? Videndum igitur quam sit malus conviva ebrietas.

I. Ebrietas incantator et veneficus est. Quomodo enim venefica illa Circe socios Ulyssis in porcos philtro suo transformavit; ita fere et ebrietas, quae rationis usu privat et bestiarum habitu hominem induit. Proinde, ebrius maxima injuria se et Deum afficit; se, dum seipsum deformat, et ad insaniam quamdam redigit. Collocavit Deus hominem in gradu summo entis, qui est intellectivus, adeoque juxta se: an igitur culpa careat, qui seipsum inde deiecit et ad bestias detrudit; certe qui alterum philtro aliquo vel veneficio insanum redderet, etiamsi id ad diem tantum ageret, gravissime delinqueret, et graves poenas daret. Non peccabit igitur, qui seipsum sciens et volens inebriat, adeoque fatuum et mente captum effecit? Hac de causa ss. patres, Chrysost. hom. II. et LVII. ad populum Antioch. S. Basilius, in ebrietatem, et alii ebrietatem *dæmonem voluntarium* appellant; et Seneca, ep. LXXIII. ad Lucillum, *voluntariam insaniam*. Ut enim dæmon culpa sua per superbiam ex angelo lucis, se in angelum Satanæ transformavit: ita per ebrietatem homo. Imo per hanc gravius quodammodo cadit quam occidit Lucifer quia is non perdidit naturalia: ebrius autem non tantum gratiam perdit, sed et naturalem sibi rationis adimit usum; dæmon deinde eum obsidet hominem, utitur ad suam loquelam ejus lingua, ut cum loquitur Græce, Latine, etc. similiter aliis ejus membris pro libitu suo, ita ut homo ille magis videatur dæmon, quam homo; instrumentum enim diaboli est: ita ebrietas facit hominem organum diaboli. Vium enim ex illo loquitur non ille ex vino; agit quæ non vellet, si intelligeret: unde agitur potius. Et confessus quidem, uti et insanus commiseratione digni sunt et habentur ab omnibus; siquidem præter suam culpam eo devenere; ebriorum autem homo miseretur, quia culpa sua scientes volentes eam sibi peperere insaniam.

Deum vero offendit, quia imaginem ejus,

donum scilicet omnium maximum, abiecit et vendit pro modicissima voluptate. Quis nescit quanta sollicitudine servent nobiles insignia sua, quæ forte ab imperatore aut principibus viris dono acceperunt? Unicam alam ex aquila imperiali ab imperatore suis insignibus donatam tanti aestimant, ut malint prædia sua perdere quam ea insignia. Jam vero Deus ex suis ipsius perfectionibus dedit nobis primum et prætantissimum domum rationis. Quod si igitur illud tam facile quis delet et exterminat, quomodo non is maxima in Deum ingratitudine peccat? *Quid fœdus* (inquit Musonius de victu) *quam ut homo bruti animalis imago sit*. Dico apertius: Quid fœdus, quam ut imago Dei bruti animalis imago sit? « Spectaculum triste Christianorum oculis, inquit S. Amb. lib. de Elia, c. XIII. et miserabilis species. Cernas juvenes terribiles visu hostibus de convivio portari foras, et inde ad convivium reportari, repleri ut exhauriant, et exhauriri ut bibant. Si quis verecundior fuerit, ut erubescat surgere cum jam immoderatos potus tenere non possit, anhelare, vehementius sudare, gemere, signis prodere, quod pudet confiteri. Ibi unusquisque pugnas enarrat suas, ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Vino madidi et somnolenti, nesciunt mente, quid lingua proferat. Unusquisque stertit et potat, dormit et dimicat: et si quando consurrectum fuerit, viri præliatores stare non possunt, egressu vacillant. Rident servuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem, bellatorem imponent equo. Itaque huc atque illuc, tam quam navigia sine gubernatore fluctant, et tamquam vulnere icli, in terram defluunt, nisi excipiantur a servulis: alii referuntur in scutis, fit pompa ludibris. Quos mane insignes armis spectaveras, vultu minaces, eosdem vesperi cernas etiam a puerulis rideri sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso juvenutis flore arentes. » Hæc Ambr.

II. Detractor est; quia viro honesto multum detrahit de bono nomine et existimatione: unde Eccles. XIX. dicitur: *Vinum et mulieres arguunt sensatos*. Ut enim ebrietas digesta crapula oris halitum fœtore quodam graviter olente afficit: ita et famam. Vel enim homo virtutis laude claret; et mox dici solet, ipsum quoque hominem esse, non angelum: vel homo robustus et militaris est; et quid huic turpius, quam vinci a vino, qui ab hoste non vult? Vel homo scientia præditus et quid indignius docto, quam regi aut duci ab iis, quos ipse regere consiliis deberet? Quoties audimus dicentes: Hic vel ille esset vir bonus, sed potui deditus, et tunc mirabilis est, etc. Hinc Pharisei et Scribæ videntes

Christum comedere et bibere, mox arripiunt occasionem eum inde calumniandi: *Ecce homo vorax et potator vini*, Matth. XI. hinc Ninum Assyriorum regem Græci Iones despiciebant ob crebras ejus potationes, et ad nihil aliud natum dicebant, quam ad comedendum et bibendum, adeoque abdomini tantum, teste Athenæo, l. II. dipnosoph. Philippus Macedonum rex, cum a legatis Atheniensibus ad se missis jactaretur postmodum, quod esset famosus vini potator et vir effuse lætus: *Id vero non magni refert*, subjungebat Demosthenes, *priorem virtutem cum spongiis communem habes, levitatem cum scurris*, Bruson. l. I. c. XIX. Alexander Magni filius illius, ingentia animi bona et heroicas virtutes suas haud tolerabili cupiditate vini fœdavit, ut scribit Q. Curtius, lib. V. Claudius Tiberius Nero ob vini aviditatem: *Cadus, Biberius, Mero* appellatus fuit, apud Tymp. in spec. princip. fig. LIV. Porro Romam eos qui se vino ingurgitabant adeo exosos habuere, ut e senatu et publicis muniis velut indignos removerent, teste Alexandro ab Alexan. lib. III. gen. dier. c. XI. Hispani nec in testem quidem admittunt eum, qui semel ebrius extiterit. Refert Tympius ibid. Apud Italos quoque tam probrosa est ebrietas, ut conspecto forte ebrio, pueri glomeratim accurrant, eum exsibilent, cachinnentur, luto et lapidibus petant, et quocumque ierit, clamoribus insequantur, quod non semel vidi. Qua in re pene toti mundo celebres sumus Germani, ut dicere debeamus de nobis quod olim de Græcis suis dixit S. Chrysostomus, hom. LVII. ad pop. videlicet, hoc esse *commune generis opprobrium*. Unde Sinan Bassa superioribus hinc annis dicitur non paucos e milite Germano captos Sultano suo per ludibrium Constantino-poli cum vitris, aleis, et chartis obtulisse in opprobriationem ebrietatis Germanorum, teste Nic. Serario in Judith, cap. XV. Delevit eam maculam in Græcia Deus cum tradidit eam Turcis, qui vinum abominantur et excindunt vitēs. Timendum idipsum nobis, ne Germanorum ebrietatem simili modo aliquando exterminet: communia enim vitia, communem portendunt plagam et exterminium, ut ex ss. litteris patet.

III. Est proditor, quia prodit hominis secreta, adeoque eum per hoc alteri subjectum reddit, cui secreta ejus aperuit. Unde dicitur Prov. XX. *Ebrietas secretum manifestat*: et c. XXXI. *Nullum secretum est, ubi est ebrietas*. Proverbio etiam dicimus: *Ex oculis, loculis, poculis, elucere hominum ingenia*. Unde nonnemo ebrietatem torturæ comparavit suavi, per quam animi sensa propria et aliena delicta facile extorquentur. Sunt plerumque gloriosi rustici, dum ebrii sunt: marsupium et pecuniam suam depromunt

coram aliis, interim a cleptis observantur et nummis sæpe despoliuntur. Pari facilitate et ineptia depromunt alii mentis suæ arcana, quæ non parvo illorum damno ab aliis observantur. Prodit deinde vitia homini occulta, bestialitatem, passiones et inclinationes malas: sopita enim ratione, prodiit se sensualitas, et asinus prospicit de manica. Tunc prodeunt impudentia, levitas, scurrilitas, turpis sermo, jactantia et porcini mores.

IV. Fur est; quia aufert opes et substantiam. Unde Eccl. XIX. dicitur: *Operarius ebriosus non locupletabitur*: et Prov. XXI. *Qui diligit vinum et pingua non ditabitur*. Hinc Diogenes quondam præteriens domum vinolenti prostitutam: *Sciebam*, inquit, *domum istam vino ebriam dominum vomituram*: en jam ructat, Bruson. l. III. c. XIII. *Venter enim*, inquit S. Basilius, *depositum non servat, imo vero nihil est in commerciis et contractibus ventre infidelius*. Quod si venter instar marsupii vel cistæ esset, non inepte ageret, qui multa in eum congereret. Sed digerit is depositum, et licet hodie eum infarcias, cras iterum egebit et appetet. Providi parentes non solent filiis, alicubi studiis operam dantibus, mittere simul magnam pecuniæ summam, si advertant ipsos esse prodigos: sed minutatim singulis mensibus vel septimanis aliquid; quia vident tam cito egere filios, si multa habeant, quam si pauca. Venter ejusmodi studiosus est, quem alere cogimur omnes, prodigus et inexplebilis: jam si simul ei multas tradas pocula, multa cito dilapidabit, imo citius rursus egebit et rursus pocula expetet; quia ebriosi digesta crapula mox iterum sitire solent, tandemque adeo inflammant hepar, uti semper sitiunt. Quare non mirum, si tandem ad incitas redigantur, qui tam improvide alunt ventrem suum; si enim alimoniam illam juste partentur, nunquam egerent. Nunc autem tam pauperes quam nobiles malunt uno die affluere et epulari, sex reliquis egere et esurire, quam tota hebdomade commode sustentari. Quis non videt horum insaniam? *Quam trium, aut quatuor dierum*, inquit S. Aug. serm. de ebrietate vitanda, *potuerunt rationabilem refectorem habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potius quam expendere*. Quæ operarii per hebdomadam lucrantur, fere in tabernis uno die expendunt: et ut ait S. Ambrosius, lib. de Elia et jejuniis: *Uno die bibunt multorum dierum labores*. Quot hinc nobiles et opulenti, e dominis servi, et divitibus pauperes, ex nobilibus ignobiles facti sunt et fiunt, adeoque dedecus parentum suorum? Unde non immerito Græci sanxerunt aliquando, ut qui patrimonium potationibus dilapidassent, non sepelirentur in majorum

suorum monumentis: sed inglorii in locum quisquiliarum projicerentur, teste Alexandro ab Alexand. lib. VI. gen. dier. cap. XIV. Callias quidam Atheniensis, cum substantiam suam vino sorbisset, ideoque mediis frigoribus nudus incedere cogeretur, hoc dicitio passim notabatur: *Hic a vino deplumatus est*. Similiter fere Isaias, cap. XXVIII. ait de ebriosis: *Absorpti sunt a vino*, dum enim ipsi vinum absorbent, interim a vino absorbentur eorum vestes, pecuniola, supellex; ut non mireris, si quem helluonem lacerum et centumculatum videas incedere, vinum enim et cerevisia hos ei morsus infixere. Denique, interdum regna evertit, et urbes hostibus patefacit, uti partim sacræ litteræ, partim profanæ historiæ tradunt.

V. Tortor est et licitor; quia destruit sanitatem: unde Prov. XXIII. dicitur: *Ingreditur blande (vinum) sed in novissimo mordebit ut coluber*. Anacharsis philosophus dixisse fertur, vitem gignere tres uvas, unam sanitatis, alteram voluptatis, tertiam mœroris. Singularem enim Dei providentia videtur evenire, ut fere semper ebrietatem sequatur dolor capitis, stomachi, aut membrorum aliorum: ut sic vel hoc medio coerceantur ebriosi. Evenit enim quod Deus Cain prædixit: *Nonne si male egeris, statim præ foribus aderit peccatum tuum*, id est, peccati vindicta? S. Basilus, hom. 1. de jejuniis ait: « Sicut visum id quod summe splendet, hebetat atque vastat, et magni sonitus ac strepitus ob excessum, auditum; sic et isti ob assiduam et immodicam voluptatem sese vastant atque corrumpunt, et a delectationis via omnino avertuntur: » et ibid. « Famulus, inquit, profugit ab hero verberante, tu vero non recedis a vino, quod quotidie contundit caput tuum. » Quare profecto in magno errore versantur ebriosi, qui voluptatem in ebrietate quærunt; siquidem ebrietas non conciliat, sed arcet voluptatem; januam enim voluptati claudit et sensum sopit: et præterea dolores variosque gignit morbos. Non dubito, si quis dolium vini afferet in forum et cum baculo assistens, vinum gratis offerret omnibus, ea tamen lege, ut singulos haustus singulis ictibus compensaret: non dubito, inquam, paucos fore aut nullos, saltem sensatos, qui vinum hoc gustarent. Atqui hoc facit ebrietas, quæ tot ictibus pulsat caput tuum, quot vicibus te ingurgitas et tuis quidem expensis: cur igitur non sapis?

VI. Homicida est; quia Eccles. XVII. dicitur: *Propter crapulam multi perierunt; qui autem abstinentes est, adjiciet vitam*. Unde non video, quomodo ebriosus coram Deo se excusaturus sit, qui immodico potu mortem sibi acceleraverit, vitamque donum Dei maximum, levi voluptate

perdidit. Mundani homines queruntur de asperioris vitæ religiosi, uti Capuccinis et Carthusianis, quasi inedia, frigore aliusque carnis castigationibus seipos enecent et mactent: sed longe alia res est, macerare corpus ut spiritus foveatur: et fovere corpus, ut spiritus opprimatur. Quod si culpa aliqua sit, nimio pœnitentiæ rigore vitam abbreviare: quanto major erit, deliciis se occidere. Quisquis ad Assuerum non vocatus accesserat, certissimam ejus indignationem et vitæ periculum incurrebat. Atqui ebrietate vitam sibi accidunt, seipos judici Deo non vocati sistunt importuno tempore. Merito igitur timere ejus indignationem, et periculum damnationis debent, præsertim quia ebrietas non tantum corporis, sed et animæ vitam petit. Hoc enim peculiare habet ex omnibus vitiis, quod hominem incapacem reddit pœnitentiæ et sacramentorum: alia vitia quancumque expelli possunt vel per unum contritionis actum, ac proinde hominem in periculo damnationis tam manifesto non constituunt. Et quoties fit, ac quam facile fieri potest, ut ebrii suffocentur, occidantur, in flumen cadant, cervicem frangant, etc. Ergo sicuti Sedecias rex effossis oculis, cæcus in captivitatem Babylonicam est abductus (IV. Reg. ult.) sic ebrii rapiuntur ad infernum. Quomodo ergo se defendent, quomodo effugient, cum mente capti sint: *Genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* ait Dominus, Matth. XXIII. Viperæ (si Aristoteli, I. VIII. animal. c. IV. credimus) vino capiuntur ebriæ, dispositis eis ad bibendum vasis: et facillime quidem, utpote tunc inertes, et inertes. Pari modo ebrii capiuntur a diabolo, parique facilitate. Et quid si durante ebrietate e vita abripiantur? Quorsum ibunt miseri? Sane capitulum: *Audivimus de reliq. et vener. sanet. ait: Via pro talibus inebrietatibus peremptis, Ecclesia permittit orare*. Nemo facile militi persuadeat, qui hostem aliquem sibi insidiantem metuit, uti gladium suum deponat. Gladius quo contra diabolum nos defendere debemus, ratio est, cujus usu et beneficio conteri de peccatis nostris, et pœnitentiam agere possumus: hostis vero noster semper nobis a tergo est. Unde monet S. Petrus, in sua can. epist. 1. cap. V. *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret*. Neque vero quis dicat, se hoc gladio discingi non posse, neque inebriari, licet fortiter bibat: scire scilicet ferre vinum, etc. Non enim major est patriarchis illis Noe et Loth, qui a vino superati et decepti fuere. Jam vero quæso te, si furibus in domum tuam ingressis, filius tuus monstraret et offerret claves omnium cistarum, unde tibi maxima damna a

furibus inferrentur, quam puero haberes gratiam? Ebrietas hoc facit, dat enim claves vitiis, quæ misere te expolient.

Postremo, his minatur Deus, Jer. LI. dicens: *In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus*. Ad litteram quidem Balthasari et Chaldæis, quos inter pocula jam ebrios et semisopitos Cyri gladius repente oppressit, ut habetur, Dan. V. Interim tamen aliquos quoque ebrietati deditos tangit hæc communicatio. Et ipsos enim suo tempore, cum minime expectant, sæpe apprehendit inopinata mors et a somno ebrietatis ad perpetuum inferni somnum abripit. Balthasari tunc scriptum fuit: *Mane, thecel, phares*. Idem judicium expectat ebriosum. *Mane*, numerati et succisi sunt dies vitæ tuæ: *Thecel*, inventus es minus habens virtutum, quia gravis vino: *phares*, divisum est corpus tuum, quo ita saginas ab anima: et datum est vermibus in epulum, anima dabitur dæmonibus in ludibrium et tormentum. Quod a nobis avertat Deus.

## CONCIO IV.

CUR GERMANI AD EBRIETATEM PROCLIVIORES SINT, CAUSÆ.

I. Societas compotantium in tabernis. — II. Multa provocatio et propinatio. — III. Superiorum conniventia. — IV. Superiorum et clericorum exemplum malum. — V. Communitas et frequentia hujus vitii.

## THEMA.

*Manducaverunt et saturati sunt*. Marc. VIII.

Facile mihi persuadeo nullum huic convivio Dominico Germanum interfuisse, quia audio in evangelio convivas manducasse tantum, non bibisse, et tamen saturatos esse. Quod si Germanus quispiam interfuisset, non crederetur saturatus, nisi etiam alacriter bibisset; adeo amicus est Germanis potus liberalior: id quod ego mallem tacere, si non toti propemodum orbi compertum esset. Celebretur passim (apud Pontan. et Beierl. in apophthegm.) Germanus quidam, qui cum ludis publicis, quos instituerat Ferdinandus imperator in nuptiis Hippolytæ et Alphonsi filii sui, inter omnis generis homines interesset, et siccos ludos cerneret, repente vocem efferens, clamabat: *Valeant ludi quibus nemo bibit*. Nimirum ex cantu statim avis cognita fuit, quæ hac voce testatum fecit, Germanos esse bibaces. Non ergo vos Germani interfuitis huic evangelico convivio: alioqui forte similiter inde decessissetis. Serio o conterranei, erubescere debemus, quod pene in toto mundo tradu-

TOM. III. — PARS ÆSTIVALIS.

cimur ut bibaces, imo ut ebriosi. Et licet magna pars Germanorum ab hac labe sit immunis, reliqua tamen vitio huic obstricta toti nationi maculam aspergit. Unde si recte sapimus, merito nobis irasci debemus, omnemque adhibere curam, ut hac nota nos liberamus. Quod si facere velimus, ante omnia radices morbi nostri cognoscere debemus: quas ego ex parte ostendam, et ni fallor, rem acu tangam.

I. Causa hujus mali est societas compotantium in tabernis, ubi alter alterum exemplo et hortatu incitat ad bibendum: qui si domi suæ biberent, nequaquam eo intemperantiæ procederent. Sunt enim tabernæ Germanorum velut area quædam aucupis, in qua dæmon velut auceps, plurimas congregat et captat animas, ut pene nulla evadat. Et quemadmodum Circe trivenefica suos amatores pellexit in suas ædes, posteaque philtro potatos in varias mutavit bestias, prout cecinere poetæ: ita et dæmon in tabernis transformat homines in bestias. Ibi enim amicitia sanciantur et firmantur, ibi fraternitates contrahuntur; quo fit, ut ægre ab invicem separentur: unde dixit Nahum, cap. 1. *Sicut spinæ se ab invicem complectuntur: sic convivium eorum pariter potantium*. Cauponones etiam ejusmodi societates alunt, et quo diutius in cauponis desidant compotatores, eo ipsis gratiores sunt, quod si in privatis ædibus tales commensationes fierent, ut plurimum citius abrumperentur; nemo enim paterfamilias libenter e domo sua facit tabernam, nec libenter patitur in ea potatores diutius consistentes, et domum clamoribus inquietantes. Jam vero in Germania tabernæ longe plures sunt, et frequentantur longe magis a civibus et indigenis, quam in aliis nationibus, ubi hospitia non sunt nisi pro peregrinis. Hanc ob causam Claudius imperator cauponum tabernas, in quas cives coeuntes potabant, demolitus est, Dionel. LX. teste. Carolus IX. et Henricus III. Galliæ reges edicto caverunt, ne qui cauponariam exercerent, aliquem incolarum vel civium cujuscumque conditionis sit, ad se potandi causa reciperent, nisi extraneo, vel eo, qui ibi domicilium non habet comitatum, pœna arbitraria in transgressores legis statuta, Cod. Henr. III. Quod idem observatum memini Augustæ Vindelicorum: idque æquissimum est. Nam in tabernis cives multo plus absument, uxoribus et liberis sua abliguriunt, jurgiis et litibus se exponunt, de symbolo solvendo parum cogitant, liberales vel potius profusi sunt erga alios, etc.

II. Mutua provocatio, quæ fit per propinationem. Hanc enim consuetudinem propinandi et respondendi tam religiose observant Germani, quasi sancta quædam lex foret. Imo cum quis